et marchia Lusatie ad Conradum marchionem Missenensem, de quo sequitur, pervenit.

Nonus stipes.

Conradus, filius Thiemonis de Witin, mortuo fratre suo Dedone sine heredibus masculis, ipse inchoatum monasterium Sereni Montis perfecit anno ab incarnacione Domini MºCXXIIII indiccione secunda, presidente summo pontifice Calixto IIº, pontificatus eius anno VIº, imperante Heinrico huius nominis quinto, imperii eius anno XIIIº, anno ab ordinacione primi archiepiscopi Magdeburgensis CºLVI, sub Ruthero archiepiscopo XIIº, pontificatus anno quinto, a fundacione Hallensis ecclesie Novi Operis anno IXº. Hic Conradus fraterne devocionis fidelis, de predictis dedit ecclesie Sereni Montis CºXXti mansos. Item dedit ecclesiam in Lobichune cum XXVI mansis ad eam pertinentibus. Item capellam Ostraw cum IIIIor mansis et alia multa, prout in privilegiis et in cronica dicti monasterii clare habetur. Accepit siquidem inclitus comes in uxorem filiam cuiusdam nobilis viri Alberti de Swevia, que Luckardis est dicta. Hec omnino religiositate composita est quanta apud Deum eciam devocione flagrabat elemosinarum, ipsius erogacio declarabat. Nam non solum suis exhortacionibus maritum devocionem ad meliora semper incitando, verum eciam predia plurima de suis pecuniis empta ecclesie predicte Sereni Montis conferebat, ex quibus sunt XVIII mansi in villa Hizekindorff, XIII mansi in Saltzmunde, sex mansi in Udene, quinque mansi in Rusedal.

Collaterales.

Post fundacionem et consecracionem dicti monasterii anno MºCXXVI gravissima gwerra exorta est inter Heinricum marchionem iuniorem de

rot.
Alberti
~~Texentor.?~~
f. CCLIIIId
Lobichune
a/ devocione c.
Saltzm.2 c.
b/ quos c.
rot.